

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Rectore ... Dn. Friderico Avgvsto, Elector. Saxon. Herede,  
ac Reliqua, Dissertationem Moralem, De Eo Qvod Homini  
Convenit Circa Brvta**

**Calo, Johann Adam Calo, Johann Adam  
Vitembergae, MDCCVI.**

**VD18 13000616**

Aphorismvs I. Licitum est homini pro sua uoluntate brutis uti.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-13719**

APHORISMVS I.

Licitum est homini pro sua uoluntate brutis uti.

EX 9<sup>o</sup> ET 16.



Vae summa Dei in hominem est benignitas, non tantum ceteris praestare creaturis eum uoluit, sed et, concesso clementer dominio, easdem ad sustentationem uitae commoditatemque ipsi indulgere. Etsi quidem diffitendum non est, quam maxime hoc imminutum esse dominium, postquam protoplastus Adam dicto Dei non audiens ab eo defecit, ut, existimante *Luthero ad Genesin p. 19.* speciem saltem domini alicuius in creaturas, sed per exiguum possidere hominem, & nomen saltem uocabulumque domini retinuisse, siue nudum titulum, uideatur; id tamen, quod restat, satis adhuc luculentum diuinae bonitatis testimonium esse potest. Quo de agit *Cap. IX. Genes.* Digna sunt lectu uerba, huc adducta ab *Osiandro & Riueto*, ab illo in *Commentario*, ab hoc in *Exercitationibus ad Gen. Cap. IX.* Huius uerba ita fluunt: *Certum est, ordinarie inditum esse omnibus animalibus hominis metum & aliquam reuerentiam, quam uix excutiunt etiam saevae bestiae, nisi uel lacesitae, uel fame compulsae, uel aliqua alia perturbatione addactae. etc.* In statu quidem institutionis et perfectionis dominium quoque illud perfectum erat, hoc ipsum in statu defectionis etsi magnum et amplum, imperfectum tamen maxime deprehenditur. *Vid. Doct. Albert. in Compendio I.N. p. 11. Cap. 7. §. 4.* ubi omnia haec accuratissime persequitur.

II.

Non hic attinet omnes commemorare, multo minus examinare rationes, quas auctores de hoc dominio diuinius homini in bruta concesso afferunt, fundamentique loco ponere annituntur. Quorum alii in perfectione hominis fundamentum quaerunt, quo respexisse uidetur *Hipponensem Praesul Augustinus*, quando *Libr. I. d. Gen. contra Manich.* existimat,

4 2

omnia



omnia animalia cetera subiecta esse homini non propter corpus sed propter intellectum, quem nos habemus, illa non habent. Clarius adhuc propinat sententiam suam *Lib. III. de Trinitate Cap. 4.* Omnia, inquit, corpora per spiritum uitae rationalem, et spiritum uitae rationalis, desertorem atque peccatorem per spiritum uitae rationalem piuum et iustum, et hunc per ipsum Deum gubernari. A quo non abhorrere uidetur *Thomas Aquinas & Plutarchus* aliique, quorum sententiam vide *sis ap. Grot. d. I. B. et P. Libr. II. C. 20. §. 9. n. 2.* Quod si vero possessio domini in alios fundaretur in sola naturae praestantia, consequeretur, ut Angeli, qui et naturae excellentia et intellectus cum primis perspicacia homines longe superant, hominibus etiam brutisque imperarent. Quod autem cum aliter esse deprehendimus, aliter quoque sentiendum esse arbitramur. Neque enim ii, qui tanta intellectus perfectione non gaudent, quanta alii, ob eam naturalem imperfectionem aliis subiiciuntur, de quibus copiose egit *Grot. Libr. II. C. 22. §. 10. et Zieglerus in Not. ad eundem*, ex quo liquet, non satis iusto defendi titulo ab Hispanis uindicatum sibi Americanos dominium, quod sibi natum existimarunt ex horum populorum mentis imbecillitate uanitateque religionis, de quo *Zieglerus modo commemoratus.*

### III.

Multo minus hic audiendus est *Hobbesius*, qui, cum mensuram iuris facit utilitatem, et unicuique ius esse in omnia dicit, hoc est, frui, possidere, omnia posse quae habere et possidere cupit, cuius ui hypothesis licitum etiam homini esset, facere atque de brutis quicquid libuerit ipsi. Philosophatus est ita in *Elementis suis de Ciue C. 7. §. 7. et C. II. §. 3. seqq.* & alibi passim, *confutata eius uide sententiam ap. Pufendorfium de I. N. & G. Libr. III. C. 5. et passim.* Idem ille *Pufendorfus Libr. IV. C. 3. §. 2.* eleganter de fundamento domini quod homo obtinet in bruta, disup-

disputat, atque cum dicit hominem in eo statu & conditione a Deo creatum esse, ut necesse haberet alimenta aliaque ad vitae sustentationem necessaria, tam benigne ei prospexisse, et concessisse postea dominium non tantum in uegetabilia, sed etiam in bruta animantia, cuius collati domini formula legitur *Gen. I. 26. 28. et Gen. IX. 2.* et aliis Scripturae locis. Audiamus *Pufendorfium* ita differentem: *Quia Deus nulla re extra se indiget, neque per alias res ipsius beatitudini ulla potest fieri accessio, inde sua ipsum bonitas facilem esse subegit, ut creaturis suis ex se inuicem utilitatem capere concederet. Cum primis autem erga humanum genus eousque benignum sese exhibuit, ut tralatitium sit, a Deo omnes creaturas in usum hominum conditas.* In hoc autem dissentire uidetur modo laudatus scriptor ab iis, qui hominum causa, omnia fuisse producta et condita arbitrantur, *longe enim dicit, compendiosius machinam mundi adornari potuisse, si nihil fuerat creandum, nisi quod usum homini praeberet. l. c.* At vero documentum illud esse existimamus inexhaustae Dei bonitatis, quod non summe necessaria modo, sed et utilia homini condere voluerit. Vltro quidem fatemur carere hominem multis potuisse, quae in mundo sunt, neque tamen plane inutilia, quae extra eius necessitatem posita sunt, sed omnia propter hominem. Ordo in creandis rebus a Numine etiam obseruatus elegantissimam nobis meditandi praebet occasionem, primo enim produxerat coelum, terram, hancque arboribus et graminibus vestierat, additis deinde brutis animalibus, hominem deinceps nobilissimam creaturam formabat, collocabatque in hoc amplissimo orbis theatro omnium rerum copia affluente eiusque arbitrio cuncta subiiciebat. Mirandum, haec tam perspicue homini gentili quoque innotuisse, *Ciceroni* uidelicet, qui *Libr. I. de Legibus: Itaque ad hominis commoditates et usus tantam rerum ubertatem largita est natura, ut ea, quae gignuntur, donata nobis consulto, non fortuito nata uideantur.* Ex his itaque

A 3 que



104  
que sponte consequitur, quod si homo tam singulari liberali-  
tatis diuinæ argumento dominium in bruta obtinet, faculta-  
tem quoque habeat iisdem pro sua uoluntate utendi.  
Non alienum hic uidetur et illud adicere, quod nempe illa  
concessio dominii non praecepti uim habeat, ut commode  
monet *Pufendorfius L. c.* alioquin homo ad omnimodum eius  
exercitium obligaretur peccaretque in legem diuinam, si a-  
nimal quodpiam liberum dimitteret, aut occasionem idem  
in potestatem redigendi negligeret, sed qualitas tantum sit ali-  
qua moralis personae competens ad iuste aliquid habendum,  
ut uocat *Grotius d. I. B. et P. Libr. 1. C. 1. §. 4.* seu ut *Pufendorfius* lo-  
quitur, *privilegii instar sit, quo quis aliqua re uti potest, quousque libet,  
potest, nec tamen ad omnimodum eius exercitium tenetur. L. c.*

## APHORISMVS II.

Ita tamen uti iisdem debet, ut neque a rectae rationis re-  
gula, neque ab honestate sit alienum.

EXPOSITIO.

I.

Quandoquidem homo iuxta *Ciceronem* ratione et oratione  
a brutis maxime differt, sedulo opera ipsi nauanda est, ut  
in nullo, quodcunque agit et suscipit, a rectae rationis regula  
deflectat. Hoc in usu brutorum quoque ipsi obseruandum  
uenit. Vitio itaque non carent actiones gentilium, qui prae-  
stantiae insignis dignitatisque humanae immemores infra  
bruta se abiiciunt, eaque aut diuinis plane honoribus, aut sal-  
tem nimio cultu obseruant. Nulla enim fere naturae pars ab  
iis neglecta fuit, quin diuino honore aut aliquo saltem cultu  
symbolico digna censeretur. Quod tum ex ueteribus, specia-  
tim *Clemente Alexandrino, Eusebio, Augustino et Arnobio*, tum ex re-  
centioribus speciatim *Gerrardi Ioannis Vosii Theol. Gentil.* liquet.  
Memoratu digna sunt uerba *Clementis Alexandrini*, quae in *Ad-  
monitione*